

5

THEOREMATA

Ex uniuersa Philosophia deprompta,

QVÆ IN AL-

MA VNIVERSITATE

GRÆCENSI PRO DOCTORA-

TVS SEV MAGISTERII GRADV

consequendo defendant Eruditi Domini Arti-
um liberalium ac Philosophie

Baccalaurei,

GEORGIVS ZIEGLERVS Monacensis

Banarus, S. P. Alumnus.

GEORGIVS HAMMER Spirensis, S. P. A.

MICHAEL REINBADT Eichstadianus

Banarus, S. P. Alumnus.

P R A E S I D E

R. P. GUILIELMO LA-

MORMAINI E SOCIETATE IESV

Philosophie Magistro & Professore

Ordinario.


Disputabuntur in Aula Academica Vniuersitatis Gra-
cenis Mense Iulio, die horis

GRÆCII STYRIÆ,

Excudebat Georgius Widmanstadius.

M. DC. IV.

AT ALMENOSTER



REVEREN-
DISSIMO ET ILLV-
STRISSIMO PRÆSVLI, DOMI-
NO, DOMINO MARTINO EPISCO-
PO Seccouiensi, Illustrissimi Principis Ar-
chiepiscopi Salisburgensis per Styram Vi-
cario Generali, &c. Domino ac Patro-
no nostro obseruandis-
fimo,

Salutem & Felicitatem.

Non diu fuit querendus,
Reuerendissime & Illustrissime
Preful, cuius patrocino hasce no-
stras ex omni Philosophia proposi-
tiones committeremus. tu enim no-
bis in eam cogitationem, ingressis
continuo occurristi, qui eas vel ab imperitorum calu-
mnijs, vel ab inuidorum iniurijs tueri & defendere
pro dignitate posses; velles pro humanitate & inma-
to in eos amore quos Musæ amant. Posses autem &
velles? immo etiam deberes quidni enim sapientia
partum, tenuem quidem illum & exiguum, sed ta-
men sapientiae, blando sinu excipias, que tibi tantum

A 2 con-

contulit ut in sapientissimis viris cum alias semper sis numeratus; tum vel maxime Ratisbona in illustri illo Germanie procerum, atque adeo orbis totius luminum, conuentu, cum suscep tam pro FERDINANDO (DEVS bone, quali & quanto principe) legationem ita obi sti, ut à tuo unius dicentis ore penderent omnes; neque verba tua illis verba viderentur quæ examinarent, aut consilia quæ ponderarent, sed quæ venerarentur oracula. Quando inquam communis ille sensus fuit bene iudicantium, nec te ab alio principe quam à FERDINANDO, nec à FERDINANDO alium quam te legatum mitti potuisse convenientius.

Neque vero tu verborum tenus Philosophus & sapiens, quales non pauci hodie, ut in omni ante aeu fuerunt, & post erunt, tragicis mimis similes, qui clauâ Herculem præclarè referant, sed claua tantum; qui cothurno Thescum egregie exprimant, sed cothurno tantum; qui laborum tolerantiam & vigilias laudent, otio ipse & somno diffluant; qui umbram & ignauiam accusent facundissime, puluerem ipsi & arenam videre, nedum calcare, non possint. Non tu inquam ex eorum numero, ac vere nihil nisi numero, quos Epictetus ἄνευ τοῦ φρεστείου, μεχρι τοῦ λέγειν philosophos appellat. Ex paucis omnino tu unus, qui non glorioius quam verius illud Pacuij usurpare possis: Ego odi homines ignauâ operâ & phi-

& philosophâ sententiâ. Ostendisti quam oderis proximis hisce annis, quibus ea egisti, quæ haud sci-mus maiorisne animi fuerit aggredi; an prudentia & felicitatis, optato exitu terminare. Non enim no- uercalibus, ut ille, Iunonis odys, aut crudelibus Eurysthei compulsus imperijs Stygium canem valida catena vinclum è Tartareis inferorum sedibus eduxisti, cælog, spectandum proposuisti: sed diuini spiritus calore inflammatus, & pijs FERDINANDI actus auspicijs caninum Hæreses Lutherana monstrum, quod calites latratu, morsu terrigenas infestabat, in- credibili quadam generosa mentis fortitudine do- muisti, & ad inferos, unde venerat, relegasti, atque in communi tot hominum interitu exultantem, lateg- grassantem perfidiam è nobilissimis duabus prouincijs, Styria & Carinthia, profligasti. Quid hic de prudenti tua constantia & constanti prudentia dica- mus? difficultatum fluctus incurrebant? aut solus aut primus occurrebas, cetera cum Collegis commu- nicare solitus. Labores offerebantur? audiuis illos ar- ripiebas quam ignavi quietem. proponebantur peri- cula? numquam maiori spe plenus incedebas. mor- tis metus obijciebatur? numquam eras alacrior. Ita quæ alios à tam preclaro munere si non omnino re- uocare, cerie retardare aliquantulum potuissent, stimulos tibi & faces addebant, ut, pro veritate, & christiana veritate tuenda, philosophi & christiani

philosophi sustineres partes. Macete hac virtute
Præsul! Effecisti his rebus tam benè & feliciter gestis,
vt numquam interitura sit nominis tui gloria, quam-
diu erit D O M V S A V S T R I A, cui florentes pro-
uincias tam contagiosa lue purgasti: quamdiu erit Ec-
clesia, cui tot filios: quamdiu erit D E V S, cui tot aras
& templa reddidisti. Diseri hit videri possemus, si
quam facile agis, quæ merito probi omnes laudent,
tam facile à mortalibus, quæ agis, laudari patereris.
Verum cum nobis manum inyciat, silentiumq; impo-
nat modestia tua; illud ad extremum à D E O roga-
mus, vt te ad tot mortalium salutem natum, quam-
diutissime saluum velit: à te, vt, quod magnis pro-
prium, paruum hoc non parui in te amoris aut obser-
uantiae argumentum latus libensq; suscipias. Ex
Vniuersitate Græcensi, Calend: Augosti, Anno à Vir-
ginis partu millesimo sexcentesimo quarto.

Illustriſ: ac Reuerendis: C. V.

Humillimi Clientes

Georgius Ziegler Monacensis.
Georgius Hammer Spirenſis.
Michaël Reimbadt Eichsta-
dianus.

EX LOGICA.

I.

DÆQVATVM totius Logicæ, subiectum sunt ea, de quibus Logicam exercentes aliquid concludimus, principale tres operationes intellectus. Prima operatio solum est expressum & naturale signū obiecti, & ideo semper obiecto significato conformis: At vero secunda operatio est, qua vnum alteri in esse iudicatur, vnde etiam in ea falsitas reperiiri potest. Omnis autem enunciatio etiam de futuro contingente determinatè vel vera vel falsa est.

II.

Syllogismus est oratio, in qua quibusdā positis aliud quiddam ab ijs, quæ posita sunt ex necessitate accidit, eò quod hæc sint; quæ definitio soli conuenit, probatiuo. non minus cōclusio, quam præmissæ ad syllogismi essentiam pertinent. Tres tantum syllogismorum sunt figuræ.

III.

Demonstratio, potissima syllogismi species scientiam propriè faciēs, constare debet ex primis, veris, immediatis, prioribus & continen-

tinentibus causam conclusionis : Hæc bifariā diuiditur : In PROPTER QVID, & QVIA. Ante demonstrationem de subiecto & passione est præcognoscendum quid sit, de præmissis præterea quod sint, & fere etiam de subiecto.

III.

Scientiæ habitus ab actibus scientiæ gignitur, ab actibus int̄erioribus intenditur, ab actuū oppositorum habitibus interimitur, cū opinionis habitu circa rem eandem eodē tempore in eodem intellectu consistere potest. Totalis scientia idem est, quod multæ partiales ob vnam rationem formalem subiecti principalis in vnum velut aggregatæ: vnde cum eadem sint obiecta habituū quæ sunt actuū, scientiæ totalis obiectum adæquatum sunt ea omnia, quæ omnibus eiusdem scientiæ actibus cognoscuntur.

V.

Practica cognitio hoc discrepat à speculatrice, quòd illa sit de rebus, quæ fieri à nobis possunt, & doceat quomodo quæ facere proponimus, hic & nunc fieri debeant: vnde intentione sublata eadem cognitio illico ex modo euadit sp̄eculatiua. Totales scientiæ speculatiæ tres numerantur, Mathematica, Physica, Metaphysica. Logica & Ethica circa ob-

ca obiectum practicum versantur illa mentis,
hæc voluntatis operationes quatenus sunt
dirigibiles cognoscit.

EX PHYSICIS.

VI.

Dysiologiæ subiectum principale rectè statuitur corpus naturale, ut naturale est, in suppositione absoluta, cuius tria in fieri, duo in facto esse sunt principia, materia, forma, priuatio.

VII.

Materia prima datur, specie in omnibus corporibus vna, definitur subiectum primum, ex quo inexistente fit aliquid, non secundum accidens, & si corruptatur aliquid, in hoc abibit ultimum: habet suam ut essentiæ, sic existentiæ entitatem, secundum se cognoscibilis est; nobis tamen non nisi per mutationem & accidentia innotescit. Propensione quadam naturali ita formam appetit, ut si omni omnino forma spolietur, in nihilum sit abitura, nisi miraculum Dei conseruantis intercesserit.

B

Forma,

VIII.

Forma, pars altera compositi, substantia est incompleta per modum actus apta cū materia constituere substantiam completam Physicam; si corruptibilis est, è sinu & potentia materiæ educitur. In uno composito physico vnica est duntaxat. Formæ opponuntur priuatio, negatio, inquam, formæ substantialis in subiecto eius capace, existens ante omnem intellectus fictionem, sed eo modo, quo negatio esse & in esse potest.

IX.

Compositum substantiale physicum præter materiam & formam essentialiter includit vniōnem, modum substantialem ex natura rei à partibus distinctum, sine quo partes sibi etiam mutuo intime præsentes corpus non constituunt.

X.

Natura est principium primum & causa ut moueatur & quiescat id, in quo est, primò, per se, & non secundum accidens, quæ definitio materiæ, formæ, & integræ essentiæ ex illis conflatæ competit. Ars extra intellectum nihil agit, ex eius tamen directione mira fieri possunt; ut chymicæ artis verum aurum.

Cau-

XI.

Causa in communi est principium per se influens esse in aliud; huiusmodi quatuor assignantur, materia, forma, efficiens & finis, quæ tamen diuisio nec est in membra imme-diata, nec in ultimas causæ species. Materia, recipiendo formam, compositum constituit, quod eius est effectus principalis. Forma vero corruptibilis, generatio, vnio, actio ipsa, at-que adeo accidentia omnia ut effectus minus principales commode assignantur.

XII.

Causa efficiens, cum sit principium pri-mum vnde est aut fit mutatio, alia est per se, alia per accidens: illa virtute suæ naturæ pro-priâ, hæc extraneâ effectum producit. Ad po-steriorem reuocatur casus & fortuna; hoc tamen insuper addunt, quod raro & præter opinionem effectum gignant. Rursum effici-entium quoddam est principale, & virtute pari aut nobiliori in effectum influit: quod-dam instrumentale & in producendo effectu per se subordinatur alteri particulari. Præ-terea aliud est liberum, aliud necessarium, il-lud positis omnibus ad agendum requisitis potest non agere; hoc non item. Tandem causa efficiens alia est totalis, quæ sine sub-

B 2 ordi-

ordinatione in suo ordine vel totum inadæquate vel totaliter etiam adæquate effectum producit : alia partialis , quæ in suo ordine vel non totum vel non totaliter agit.

XIII.

Rebus creatis etiam corporeis virtus aetiu non solum ad producenda accidentia , sed etiam substantias , non est neganda . Ac licet accidens substantiam se solo ut agens principale & totale producere non possit , probabile tamen est id posse ut instrumentale : principaliter autem omnis substantia vel ab alia simili in specie per eius formam substancialis , vel ab vniuersali , causæ particularis defectum supplente , immediate efficitur . vnde formam substancialis , quam similis in specie , vel sol nequit , ipsa causa prima immediate producit ut agens principale .

XIV.

Certum est eandem numero substantiam à pluribus diuersi generis ac etiam eiusdem , sed diuersi ordinis & subordinatis sibi : nec non à pluribus eiusdem generis & ordinis sed partialibus causis posse effici ; à duabus tamen agentibus totalibus non subordinatis simul & coniunctim idem numero effectus naturaliter , absoluta tantummodo Dei potentia potest produci : omne quoque indiui-

diuiduum alicuius speciei totaliter produci potest diuisim à causa etiam creata æquiuoca, posito quod vel vnum illius speciei indiuiduum producere possit. Ideo vero hic & nunc ab hoc numero agente hic numero effectus producitur, quia causa prima suo concursu determinat causas secundas ad hunc numero effectum producendum, qui semel corruptus naturaliter non potest, diuina virtute potest reparari. Omne agens physicum, vt agat in distans, actionem in proximo inchoat.

XV.

Actio, causæ efficientis causalitas, est exercitium virtutis actiua sola ratione à passione, quæ illi respondet, distincta. Non omnis actio transiens postulat subiectum inhæsionis: quæ inhæret, passo inhæret: actiones suos habent terminos; à quorum essentiali identitate & diuersitate sufficienter earum, si naturales sint, identitas & diuersitas desumitur.

XVI.

Creatio est productio alicuius rei ex nihilo, ita propria D e o, vt creaturæ communicari non possit: probabile est eam semper distingui ex natura rei à termino. Porro ut fieri sine D e o, sic esse suum retinere, vel operari sine immediato eius influxu nihil potest.

XVII.

Finis est id, cuius gratia aliquid sit, effectus habet reales eos omnes, quos agens propter finem effert, ratio causandi est bonitas rei cognitæ; cognitio iudicatiua ad causandum est necessaria conditio.

XVIII.

Affectio corporis naturalis prima est quantitas realiter à corpore ipso distincta: illius ratio formalis in extensione in ordine ad se sita est; quam concomitatur extensio localis, ita ut ista naturaliter spoliari non possit. Quantitas itaque est ens per se extensem in ordine ad se exigens connaturaliter locum extensem: qua definitione nulla magis propria potest assignari. Diuisibilitas enim, quā conferre quantitas potest, cum sit extensione locali posterior, nihilo magis quam ipsa localis extensio pro quantitatis ratione sese probare potest: partium autem extensio entitatiua & præsentialis cum sine quantitate obtineri possit, illius rationem formalem subire nequit.

XIX.

Nulla quantitas actu infinita datur secundum magnitudinem, aut multitudinem, aut successionem, quæ partibus æqualibus vni certæ non communicantibus constet; da-

tur

tur tamen quæ & partibus tam proportionalibus, quam communicantibus, & indiuisibilibus, tum continuatiuis tum terminatiuis constet infinitis: indiuisibilia vero non tantum in extrema ora, verum etiam in intimo recessu cuiuslibet determinati continui tergeminâ dimensione prædicti actu sic inueniuntur, vt illud sola non constituant: quare præter hæc partes continuum vt habeat necesse est, quarum quædam indiuisibilibus determinentur, quædam sint indeterminatae, has omnes realiter & inter se & ab indiuisilibus distinctas esse iudicamus.

XX.

Locus lationis terminus, est realis quidam modus absolutus intrinsecus rei, quæ per illum dicitur esse alicubi, ab ea tamen ex natura rei distinctus. In eodem loco plura, & in pluribus vnum corpus potest virtute diuina constitui, sic vt in singulis habeat vbi quantitatuum. Corpus in vacuo virtute diuina inuenito potest successiue & in tempore moueri.

XXI.

Duratio à rei durantis existentia sola ratione differt, permanentis permanens est, vt æcum, &c. successiæ successiua; diciturque tempus, quod non solum existit secundum instan-

instantia, sed etiam successiue secundum par-
tes diuisibiles, & recte definitur numerus mo-
tus secundum prius & posterius. Nullum
tempus naturâ suâ mensura est, duratio ta-
men motus primi mobilis ex se apta est, quæ
assumatur in mensuram cæterarum.

XXII.

Motus est actus entis in potentia, prout
in potentia est, quæ definitio non modo suc-
cessiæ sed etiam momentaneæ actioni com-
petit. Quamuis enim successio aptitudinali-
ter ex latitudine termini sectilis ; actualiter ex
conditione motoris & mobilis, diuersa virtutis
applicatione, magnitudine spacijs prouen-
iat ; non est tamen differentia aliqua essen-
tialis vel peculiaris quantitas motui inhæ-
rens. Essentialis motuum diuersitas à termi-
no præcise petenda est; ad numericam diuer-
sитет sufficit aut motoris, aut mobilis, aut
termini, aut temporis extrinseci diuersitas ;
aut etiam discontinuitas : ad numericam ve-
ro identitatem omnia simul requiruntur.

XXIII.

Proiecta ab ea, quam projiciens impres-
sit, qualitate immediate & adæquate mouen-
tur ; tracta, vecta, impulsa non requirunt ut
eis qualitas imprimatur necessario, possunt
enim moueri immediate à trahente, vehente,
impel-

impellente, nisi cum sit tractio per alterationem tracti. Motus grauium ac leuium in grauitatem & leuitatem, (qualitates, ut sententiae meliori placet, à formis distinctas secundum rem ipsam) in generantem secundum loquendi modum referri possunt.

DE COELO ET

MUND O.

XXIII.

Oculum nobilissima pars corporei vniuersi (cuius circulatio ab intelligentia facta, celo præcisè comparata, nec est naturalis nec violenta, sed indifferens) forma constat & materia, agitque in hæc inferiora non solum interuētu luminis, sed etiam per occultas vires & qualitates; cælesti motu cessante inferiora non illico interirent.

XXV.

Mundus ab æterno non fuit conditus, nec absoluta D E I potentia condi potuit eo modo, quo putavit fuisse Aristoteles de facto: nullum tamen instans, nullumque tempus in imaginario, quod antecessit, assignabile

C

est,

est, ante quod absoluta D E I potentia ens
quodlibet tam permanēs quam successuum
produc i non potuerit, imo potuerunt ab æ-
terno produci à D E O entia permanentia tam
incorruptibilia quam corruptibilia, si tamen
D E V S hæc (quod natura sua non postulant)
infinito tempore conseruare decreuisset, an-
tequam corrumperentur, vel quoquo modo
mutarentur.

PROLOGUS

DE ORTV ET
INTERITV.

XXVI.

Generatio, nota Aristoteli, est mu-
tatio totius in totum nullo ma-
nente sensibili ut subiecto eodem.
Huius terminus vltimatus est
compositum, formalis vero vel vnio sola, vel
vnio cum forma substantiali : nunquam in
corruptione fit resolutio ad nudam vſq; ma-
teriam.

XXVII.

Alteratio physica est motus ad qualita-
tem intensionis & remissionis capacem, qua-
les ferè sunt primi ac tertij ordinis qualitates.

Hanc

Hanc autem qualitatis intensionem iij soli re-
ctè explicant, qui docent eam perfici acces-
sione nouorum eiusdem essentiae gradum, à
quibus ceu partibus completa qualitas inte-
gretur.

XXVIII.

Augmentatio secundum formale signi-
ficatum est actio, qua alimenti quantitas con-
tinuatur quantitati viuentis : et si vero toto
vitæ tempore hæc actio durare potest ; augeri
tamen viuens tunc solum dicitur, cum nouæ
molis appulsi euadit maius, ad quod præte-
rea opus est ut augmentationi iungatur rare-
factio, qua viuens ampliorem locum acqui-
rat, & pori magis laxentur, vt, vapore excre-
mentitio dimisso , alimento largius imple-
antur.

XXIX.

Elementa sunt coi pora simplicia, in quæ
alia resoluuntur, vt sunt vulgata quatuor,
quorum singula primarum quatuor qualita-
tum (quæ omnes & agendi & resistendi vir-
tute pollent) duas obtinēt in summo. Quod-
uis elementum ex quois immediatè genera-
ri potest, facilius tamē Symbolica in se, quām
in alijs symbola transmutantur ; cūm vero ex
conflictu duorum dissymbolorum tertium.

C 2 gene-

generatur, caue dicas illud efficienter ab eo,
quod interit, produci.

XXX.

Mixtio miscibilium alteratorum est v-nio, id est, generatio mixti ex elementis, quæ ita corrumpuntur substantialiter ut tamen in mixto virtute remaneant, non actu. Temperamentum in mixto inanimato & homogeneo toto non repugnat dari ad pondus, nec in aliqua parte mixti animati: naturaliter tamen totum animatum mixtum secundum omnes partes non potest habere, saltem in statu connaturali, huiusmodi temperamentum.

DE ANIMA.

XXXI.

Anima corporis animati nobilissima portio, est actus primus corporis physici organici, potentia vi-tam habentis, vel, si mauis, est id, quo viuimus, sentimus, mouemur & intelligimus primò. Hæc definitio illius declaratio quædam est, & medium ad illam à priori demonstrandam, omnemque animam circum-scribit.

Ani-

XXXII.

Animarum genera desumpta ex varietate modorum operandi, quibus rerum non viuentium formis prævalent, tria numerantur: quod si ex varia facultatum à se separabilium amplitudine diuersa genera metiari, quatuor statuenda sunt, vegetabilium, sensibilium, mobilium, rationalium: illæ tres materiales, corruptibles, partibus materiae coextensæ; hæc vero spiritualis, immortalis, tota in toto secundum essentiam diffusa & pro corporum numero multiplicata, quoad essentiam æque perfecta in omnibus, quoad dona gratis à D E o communicata, &c. alia aliâ liberalius exornata.

XXXIII.

Anima, vitalium functionum fons, varias facultates & instrumenta à natura sortita est, ex quibus quædam sola ratione ab anima distinguntur, vt voluntas, intellectus & memoria ab anima rationali; aliæ vero realiter, vt potentiaz omnes sensitivæ hominis. Potentiaz ex natura rei ab anima distinctæ ab eadem effectiù procedunt; non distinctæ autem ab ijsdem effectricibus causis, ijsdem que actionibus, quibus ipsa anima, efficiuntur.

XXXIII.

Iam id nobis ratum est, cuiuslibet viuentis animam nec in vna solum, nec in omnibus partibus residere, sed in ijs tantum, quibus aliquod vitæ specimen inest. Huiusmodi sunt omnes, præter vngues, pilos, sanguinem & quæ à sanguine substantialiter non differunt, ut spiritus tam vitales quam animales, tam insiti quam influentes, ut pinguedo, ut lac, ut medulla ossium, præter eam, quæ cerebro continuata est & in spina dorsi continetur.

XXXV.

Sensus externi sensibile per se aliud est commune, quod à pluribus; aliud proprium, quod ab uno solum sensu externo per se cognoscitur. Communia sunt quies, motus, numerus, figura, magnitudo & cætera eiusdem generis, quæ tametsi sciuncta à proprijs nequeant, coniuncta tamen, ut percipiantur, & possunt & debent in potentia producere sui speciem, ad cuius productionem ut agentia partialia concurrunt.

XXXVI.

Et quidem sensiles species vniuersè non esse negandas, ex eo planum est, quod dari visiles constet experimento. Effectrix harum causa adæquata est obiectum sensibile, quatenus

quamvis etiam vna species , saltem actione reflexa , alterius sit productiua. Producunt in momento ; productas ad breue tempus, obiecto etiam absente, conseruari , licet imperfectas , documento est experientia. Species vna res plerumque natura interdum etiam dissidentes repræsentat : & siue recto siue recurvo tramite excipiatur ipsa res perpetuò exhibit.

XXXVII.

Sensatio nec est speciei receptio , nec solius speciei, sed potentiae ipsius vitalis & animæ vera actio , cuius terminus est species expressa & clara rei effigies, quæ tamen sæpe , maximè verò circa commune sensibile, mentionatur, ac sensum in fraudem inducit , nec id aduertere sensuum exteriorum ullus potest , nullus enim, aut in seipsum reuolutus actu alio vel eodem indirecte suum, aut amplius ex currentis, etiam alterius actum cognoscere (ut nec obiecti priuationem) potest : esto eius cognoscendi præbere alteri potentiae occasionem possit.

XXXVIII.

Visus circa colores & lumen versatur: colores vel apparentes sunt & pro vario lucis aspectu versatiles, vel veri & fixi, nati ex prima-

marum qualitatum commixtione. Ut autem color videatur, necesse est ut è tenebris euoluatur & lumen induat. Visionem in humore crystallino non per solam speciei receptionem (ut nec quamlibet aliam sensionem) sed per potentiae ipsius vitalis & animae veram actionem, cuius terminus sit species sensibilis expressa, fieri arbitramur.

XXXIX.

Obiectum auditus est sonus ; qualitas edita virtute quadam corporum se se impotentium, aëremque vel etiam aquam, ignemque diuerberantium : fit actione distincta à motu locali, sed eum immediatè consequente, quæ dici posset sonatio. Sonum in aëre, ut subiecto, recipi certum est, probabile etiam quod in aqua, an vero in ipsis corporibus sonantibus recipiatur non constat. Num sonus auditum intra suam sphæram constitutū se ipso absque specie determinet incertum est, quod tamen fæpissimè per speciem fiat necesse est. Vox sonitus est, editus ab animali sensa phantasiaz significandi causâ. Sermo verò vox est homini propria, non phantasiaz solum, sed rationis etiam sensa explicans.

XL.

Odor qualitas est ex primarum commixtio-

tione sicco prædominante orta, cùm ad organum vnà cum subiecto suo defertur sine specie percipitur, aliàs non; specierum autem medium tum aërem tum aquam esse dicimus. Sapor est qualitas ex primarum commixtione orta, prædominante humido aqueo gustu perceptibilis. Esculenta in linguae acumine potissimum, poculenta in radice gustantur. Tactus totum corpus occupat & per omnia membra fusus est, durioribus quibusdam magisque terreis exceptis.

XLI.

Sensus interior re vñus est, ratione varius, non in corde, sed cerebro residens; cuius est non tantum cuiuslibet sensus externi obiectum etiam luculentius, quam ab ipsis externis, verùm etiam obiectorum discrimina, communia sensibilia sine proprijs, actus demum extenorū tām in homine quam in brutis cognoscere, & quod à sensibus externis acceperit, phantasiae & facultati memoratrici exhibere.

XLII.

Brutis nihil est rationis aut orationis: at homini intellectus, voluntas, memoria. Intellectus & singularia sensibilia, & eodem tempore plura sub ratione plurium, eodem

D vel

vel pluribus actibus, deinde semetipsum suosque actus, itemque angelos, ac tandem D E V M ipsum imperfectè quidem cognoscit, idque instrumentariâ specierum intelligibilium operâ, quas ipse fabricat: non quod per eas formaliter constituatur intelligens, sed quia ab ijs ad intellectiōnē eliciendam adiuuatur. Est autem intellectio qualitas immaterialis ab intellectu in semetipso producta eique expresse obiectum repræsentans, ob idque species intelligibilis expressa & verbum mentis appellatur.

XLIII.

Intellectum, dum in hac vita corpori immersus est, necesse est phantasmatâ speculari. Neque enim à naturalium colluiuie eleuatus ad altiora contendere, ac D E V M vel alia sensibus abdita cognoscere valet, nisi aliquando phantasia cognoverit, quæ affinitate aliqua, tametsi exigua, rebus huiusmodi sunt coniuncta. An verò ad omnem penitus actum intellectus phantasiaz ministerium in hac vita requiratur, non est adeò certum; verius videtur non requiri.

EX

EX METAPHY-

S I C A.

XLIII.

Ns yt ens est, aliaque prædicata
transcendentia, Substantias item
completas immateriales, tam
creatas quam Increatam D E V M
Opt: Max: in quantum ratione ac lumine
naturali cognosci valet, velut principale sub-
iectum primus philosophus contemplatur.

XLV.

Conceptus obiectiuus entis ab entium
det erminatorum specialiumque differentijs
& modis vel ex natura rei & sine intellectu,
vel etiam per intellectum præcisus, ita ut cum
eis metaphysicam ex gradu & gradu compo-
sitionem faciat, quie de inferioribus vniuo-
cè queat affirmari, nullus omnino datur: da-
tur tamen formalis vnicus, qui expressè sub-
ratione & nomine entis res omnes, nullam-
secundum propriam rationem repræsentet
distinctè, & hic à conceptibus ad res peculia-
res terminatis re differt & essentia.

XLVI.

Ratio nomine entis significata & per

D 2 dictum

dictum conceptum formalem intellecta, licet imperfecto, tamen aliquo modo dici potest vna, de Deo & creaturis analogice, attributionis; & propriæ, ut vocant, proportionis analogia prædicatur.

XLVII.

Vnum bonum verum, &c. non superaddunt enti vel ens rationis vel negationem, vel quicquam aliud, de quo vniuersalissima entis ratio dici non possit, sed solùm dicunt idem quod ens, sed vt illud per modum affientis & modificantis concipitur & edicitur.

XLVIII.

Ens aliud vniuersale, vnum aptum inesse multis per sui multiplicationem, vt tale obiectiuè solùm existens in intellectu, reale tamen, si quod eius existat indiuiduum; & huiusmodi quinq; sunt Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens; Aliud singulare, tale per realem positiamque differentiam à natura indiuidui solum ratione distingam.

XLIX.

Suprema categoriæ substantiæ ratio est ens per participationem (sive interim existat sive non) completum in ratione naturæ. cui debe-

debetur subsistentia, modus substantialis ab ipsa natura tamen distinctus. Ratio illa dicitur vniuocè de intelligentijs tām cælorum motricibus, quām alijs natura sua immaterialibus, intellectualibus, &c. & corporibus corruptilibus, incorruptilibus.

L.

DEVS Opt: Max: primus & vnicus mūndi autor ac arbiter, supremusq; totius vniuersitatis & scopus & meta, ens ēst ex se se necessarium & vndequaq; independens, natura sua perfectissimum simplicissimum æternum immensum.

Laus D E O.



Epigrammata

EISDEM ERVDITIS
DOMINIS THESIVM PROPV-
gnatoribus benevolentia ergo
offerunt

ERVDITO DOMINO GEORGIO ZIEG-
LERO Monacensi Banaro, art: & philos: Baccal:

Te quondam vixisse putas? puto: falleris: ergo
Quid mea vita fuit? mors tua vita fuit.
Cur s' expers Sophia fuerat quia vita sacrate,
Quà sine vita rudiis mortis imago fuit.
Nam quoniam Sophus es, viuis: sed quae mibi vita est?
Vita tibi Sophia est nescia posse mori.
Sit tibi vita Sopho: sed quomodo? nomine Bois,
Mente polo, haud melior vita tibi esse potest.

Matthias Wild à Stockhach Sue-
uus, S.P. A. att: & Philos: Baccal:

Eidem.

VTERQUE VICTOR.

Fmanem stravit sacer ense GEORGIVS Hydrum.
Et mucrone tumens perdidit ille caput.
Formosam rapuit Nympham fortissimus Heros,
Eripuitq; atra peccora casta neci.
Sicce tuis ausis crassa ignorantia cessit,
Castra sequi Sophia cura laborq; fuit.
Hic laquei Logices, hic ceca Sopbis mata, nodi
Gorgonij, ingenio disperiere tuo.
Tu φύσιν & φύσεος superasti limina. Nam me
Dicere quisne vetet, VICTOR VTERQUE manet?
Wolfgangus Hasenperger poëcos
Stud: Can: Regul: S. Aug: professus.

ERVDITO DOMINO GEORGIO

HAMMERO SPIRENSI, ART: LIB: AC

Philos: Baccalaureo, S. P. A.

A Cre Sophista mouet bellū, sed sternitur: omnis,
Quem tundit Sophiae Malleus iste, cadit.
Ergo Sophista cadat, victrices porrigat herbas,
Et ferat inuicto laurea sertā Sopho.
Argumentorum fāuæ cecidērē cateruæ?
Contudit ingenio Malleus illa suo.
Argumentorum candentia fulmina iactat?
Fors eius quondam fulmine multa cadent.
Proh quos non hostes contundet Malleus iste!
Forte gerit nomen, fortius ingenium.

*Joannes Kölle Hirshornensis po-
litionis literatura Studiosus.*

ERVDITO DOMINO MICHAELI REINBADT EICHSTADIANO S.P.A.

LI ac artium & philos: Baccalaureo.

Difficilem REINBADT noctuq; diuq; laborem
Anilasti. Labor hic irrius esse potest?
Dij nolint: nunc ergo tuas Europa reconde
Gazas: huc profer nobile quicquid habes.
Sed quid opes? Vel nullus honor comitatur opum vim;
Vel breuis. atque breui tempore sapè ruit.
At non ingenio tibi partum nomen, in auum
Corruet, Ingenio stat sine morte decus.

Antonius Auancinus Tridentinus, art: & phil: Baccal: S.P.A.

1. DEDICATION OF THE CHURCH
2. HISTORY OF THE CHURCH
3. BAPTISM
4. COMMUNION
5. CONFIRMATION
6. MARRIAGE
7. BURIAL

BUADIT ESEMPIO MICHAEL

Л.А.Т.2 ОДИНАДЦАТЬ ТЫСЯЧ ДВАСОДСЯСТИ ПЯТЬ